

decedat) absolvere poterit, etiamsi pars adversa, nec absolvat, appellationis obstaculum interponat, &c. appellat. 25. in ordine, ubi glossa, & omnes hanc firman conclusionem, præcipue Philipp. Franc. col. 5. versicul. ex prædictis omnibus tene menti, & iterum col. 7. q. 4. num. 35. Lancelot. de atten. 2. part. c. 12. limit. 23. n. 3. Marant. de ordine judiciorum, 6. part. princ. 3. part. q. 2. n. 180. qui clarè loquitur, licet neget Lancelot. ibi, post Joan. Andream in cap. venerabilem, §. tamen, de sentent. excommuni. in 6. Petrus Duënas regula 42. num. 8. versic. 8. fallit. in pri. p. regul. Alciatus de judic. titul. de appellat. §. in quibus casibus, & ex quibus causis appell. possit. &c. n. 8. idem Lancel. ibi lim. 21. in princ. Zerola in praxi Episcopali, 2. parte, verbo appellatio, §. 4. si quis namque excommunicatus si pro manifesta offensa, vel contumacia, qui ad hoc, ut debeat absolvi, debet impedire aliquam satisfactionem, qua etiamsi non facta, voluerit iudex illum absolvi, & antea quam is absolvatur, adversarius ab hoc gravamine appellet legitime, nihilominus iudex à quo absolutionem potest imperire absque metu, & reatu attentari, probat Zerola, & Lancelotus, caterique omnes ibi, & quod à sententia absolutionis non detur appellatio ultra relatos, idem probat Guido Papæ tract. de appellat. q. 110. versiculo sed à sententia, post Innocent. in cap. ab excommunicato, de rescript. Anton. Nicellus de concor. gl. n. 105. Rota dec. 8. de sent. excomm. in novis, Marta de juris. 3. part. cap. 14. n. 33. & 34. Rota dec. 8. n. 2. de sent. excomm. in novis, Philipp. Franc. in c. pastoralis, §. verum, in q. fin. per illum text. de appell. Abb. in d. c. qua fronte, sub n. 1. Decius sub n. 17. plures allegat Rug. in tract. de appell. §. 2. c. 3. nu. 6. & post hæc visus Sigismund. Scac. tract. appell. q. 17. lim. 42. à n. 20. & cap. 3. à n. 39. cujus doctrinæ nonnullas declarationes, & extensiones statim adjiciendas fore.

68 Rationem hujus doctrinæ reddit gloss. in d. cap. qua fronte, verbo decedat, quod iudex à quo ideo absolvit, cum nihil perat adversario, imò magis ei consulitur per præstationem cautionis, quam absolvendus præstare tenetur (de qua dicemus postmodum.) Hanc rationem approbat Philipp. Franc. ibi 3. colum. versiculo gratia colligi. Rota in decisione 7. aliàs 199. si promittitur, de sent. excommuni. in novis, facit etiam, quia sicut excommunicatio etiam injustè lata, ligat etiam pendente appellatione, ergo eodem modo absolutio licet injusta, debet operari, & permitti ea non obstante, absolutio enim, & excommunicatio pari passu ambulantes, ut dicit Lancelot. in d. limit. 23. n. 5. imò favorabilior

70 actus est absolutio, quam excommunicatio, vel interdictum, &c. & ut talis magis sustinendus, l. Arriamus ff. de actio. & oblig. cum aliis, ideoque pariter debet operari absolutio; sententia, quia nihil tam naturale est, eodem modo quoque dissolvi, quo colligatum est l. nihil, iam naturale, ff. de reg. juris, cap. 1. de reg. juris inde crim. text. in §. fin. inst. quibus modis tollatur oblig. l. 1. C. quando licet ab empione disced. l. prout quisque, ff. de solutionibus audent. contra filii, C. de re jud. in fin. ergo quemadmodum appellatione non obstante ligatur quis sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, & eodem modo debet dissolvi ipsa non obstante.

72 Et licet hæc ratio jure probatur efficacior est, quam reddit text. in d. cap. qua fronte, ibi, ne in excommunicatione decedat, &c. quæ confundatur; nam ubi periculum est in mora, appellatio emissa non suspendit effectum sententiæ, text. est in l. fin. ff. de appell. recip. vel non, text. in cap. ei qui, §. diffinitiva, & §. si quorum, versiculo si quis ausus 2. quest. 6. l. ult. C. de sepulchro violato, & tunc enim receditur à juris communis regulis, d. l. ult. & l. 1. §. sed excipiuntur. l. eadē, & l. soler ff. de feriis, & dilationibus, de quo nos latius infra. suo loco diximus. Sed hoc casu periculum est in mora (non intelligendo hoc periculum, prout intellexit gl. ibi in d. c. qua fronte,

sequuta à Franc. ubi supra, nempe; quia propter peccatum diutius homo mori præsumitur, ut ubi comprobatur text. aliquibus sed quia cum morte nihil certius sit hominibus, imò magis certius, quam nasci ut 74 sacra Scriptura clamans dicit: Statutum est hominibus omnibus semel mori, Hebræo 9. quando autem incertum, & sic quotidie, & omni momento speranda est, 75 juxta illud Joannis: Sobrii estote, & vigilate, quia nescitis qua die, nec hora Dominus vester venturus est, & illud divi Gregorii lib. 6. Moralium, dicentis: Audire ergo debemus tonitruum sacra Scriptura, dicens ubi 10 invenero, ibi te iudicabo. Et inter hanc certitudinem, & incertitudinem, per quam periculum est quo oppressus David Psalmo 101. dicit: Paucitatem dierum meorum nuntiavi mihi. Solet namque subitò Deus venire, juxta illud, quod legimus quotidie: Visitas cum diluculo, & subitò probas illum, Job. 7. cap. Scriptura enim sancta vocat mortem fulgur. Matthæi 25. c. Sicut exit fulgur in oriente, 76 & bene advertit Franc. Anton. de Rampelo, in figuris Libria, titulo de morte, super illis verbis sicut exit fulgur, &c. littera E, fol. 109. fiunt enim subitò, & impro-77 visò fulgura, & tonitrua, quos autem extra domos penitentia reperit vagantes, per agros vanitatis vitæ præsentis putrescentes, descendit super eos repentina mortis tempestas, & subitò extinguntur, & à demonibus eis insidiantibus rapiuntur in hora mortis, ut inquit divus Gregorius in d. l. 6. Moralium, telatus à Franc. Antonio ubi proxime, ante finem ergo, cum mors sit fulgur, subitò, & repente veniat, absolutio excommunicationis differenda non est per appellationem, ne forte eum inveniat extra domos penitentia, Ecclesiam, & communionem fidelium, qua excommunicatio eum privat, & tradit demoni, juxta illud Apostoli: Tradidi eum Satanae, &c. & iste est verus sensus illorum verborum text. in d. cap. qua fronte, ibi, ne in excommunicatione decedat, iudex absolvi potest, &c. quia periculum est in mora, dilationem non patitur absolutio, imò acceleranda est, cum à vitiis, & malis celeriter exire debeamus. Probatur Ecclesiastici 5. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Pro quo facit illud S. Joan. Chyloft. in homilia 22. in 2. Corinth. in Moralib. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: nescis enim, quid partitura sit superventura dies: periculum enim, & metus est in differente, salus verò certa, ac securus, si nulla sit dilatio. Et lib. Ecclesiastici cap. 5. legimus ibi: Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, &c.

Ad quod pondero illud Hieremias Propheta 51. qui 79 postquam de vitiis, culpis, & mundo loquutus est: Fugite (inquit) de medio Babylonis; non enim dixit exi, vel abi, de medio Babylonis, ne peccatori videretur permilla dilatio quam exitus à malis, & culpis, nullo modo patitur, cum periculum sit in mora: quia nescitis qua die ac hora, &c. sed subitò, ut fulgur mors venit, secundum quæ jam diximus, & ideo merito usus est Propheta illo verbo, fugite; suæ intentioni, & brevitati rei necessario, cum omnem cursum præstitum, omnimodamque celeritatem significet, quod confirmatur, nullum enim in mundo majus potest considerari periculum, quam navis in medio maris tempestate lacessita, quam undæ tumida surgere videntur, eodem 80 etiam periculo peccatorem expositum esse, dicitur: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, Psalmo 68. & ita divus Isidor. de summo bono inquit: Postquam peccato obligavimus nos in operibus Diaboli, jam nostra virtute surgere non valeamus; sed sicut navis fracto gubernaculo illic ducitur, ubi venti tempestas eam devolverit: sic homo divina gratie auxilio perditò, non quod vult, agit, sed quod Diabolus persuadet: & nisi valida manus Christi ipsum

inde extraxerit, usque ad mortem in peccatorem suorum sordibus, & vinculis permanebit: & inde cum is qui est in hoc periculo, subitò potest perire, subitò, etiam, & sine dilatione auxilium ei præstandum est: ut 82 ibi prosequitur Isidor. dicens: Sed Christus qui non vult mortem peccatorum, nec delectatur in perditione viventium, præsto est, infundere hujus gratia dulcedinem, ut peccatorem extrahat à peccatorum suorum profundo, igitur peccatori excommunicato, qui tot periculis expositus est, impedimento appellationis absolutio differenda non est.

83 Hæc etiam pars insuper probatur; etenim si verum est, quòd sententia, quæ alimenta corpori humano præstanda fore, jubetur; per appellationem non suspendatur, quominus interim debeant alimenta præstari; ea nempe ratione, ne fame moriatur, & perire possit, l. 1. ff. ubi pupillus educari debeat, gloss. verbo alimenta, in l. 2. ff. de feriis, & dilatio, & ex his quæ latè adducit Bald. Novell. de dote, parte 9. privileg. 7. Ozasc. decis. Pedem. 25. n. 20. Menochius de adipiscen. possess. rem. 4. n. 829. & ex Lancelot. Lara, Surdo, Gigante, & aliis, dicemus latè infra suo loco commodiori; ergo à fortiori idem dicendum est, privilegium concedendum in absolute ab excommunicatione, qua quis habilitatur ad participationem Eucharistia, & ceterorum Sacramentorum, qua privatus erat per excommunicationem, vel interdictum, quæ sunt cibus, alimenta animæ ei vitam præstantiorem præstantia.

85 Nam si alimenta corporalia ordinata fuerunt ad vivendum, quæ non directò vitam præstant, sed offeruntur calori naturali, ut in eis occupatus, & detentus, his durantibus, interim non deveniat consumpturus humidum radicare, cujus existens vita durat; at alimentum, & cibus spiritualis directò, & immediatè vitam confert, & ideo dicit Dominus Joan. 6. cap. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: & iterum:

87 Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Et facit illud divi Basilii ad Casaream Patriciam: Participare de sacro corpore & sanguine Christi pulchrum est, & valde utile est, ipso manifestè dicente, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, &c. & ad idem

88 divus Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. ibi, & panem istum vite, &c. Et sic merito differentiam inter utrumque esum, & cibum corporalem, & spirituales adnotat divus Gregor. homil. 6. super Evangel. Hoc distare, fratres (inquit) charissimi, inter delicias corporis, & cordis solet, quod corporales deliciae cum non habentur, grave desiderium in se accendunt, cum verò habita eduntur, comedentes potius in fastidium per saturitatem vertunt: at contra spirituales deliciae cum non habentur, in fastidio sunt, cum vero habentur, in desiderio, tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto ab esuriente amplius comeduntur. Et ibi iterum: In illis appetitus saturitatem saturitas fastidium generat, in

89 istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit, argent enim spirituales deliciae desiderium in mente, dum satiant. Et pariter Ecclesiast. 24. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Et quia super substantialis panis est ex Matthæi 6. Panem nostrum super substantialem da nobis hodie. Sed quid mirum, ut hæc, & alia plures constituantur differentia inter cibum corporalem, & spirituales, cum iste sit panis, qui de cælo descendit, & panis Angelorum, & tandem sacrum convivium, in quo Christus sumitur, ut inquit Ecclesia in officio Corporis Christi, Antiphona ad Magnificat, & Paul. 1. Corinth. 10. Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? & dicitur panis quotidianus, quem

90 petere nos docet Christus Redemptor noster in oratione Dominica, quæ incipit, Pater noster, &c. secundum

Lucam. 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, qui panis de hoc spirituali intelligitur, absque quo anima sicut corporali corpus sustineri, & vivere non potest, & ita quotidianus dicitur in Oratione hic panis, qui de spirituali intelligendus est secundum divum Hiero. Matthæi 6. & lib. 3. adversus Pelagium, divus August. ser. 28. de verbis Domini, & epistola 121. ad Probam. c. 11. & de bono perseverantie. c. 4. divus Cyprianus lib. de oratione Dominica, Divus Chrysostomus homil. 9. ex variis in Matth. tom. 2. & humil. de oratione Dominica, tom. 5. Divus Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. Divus Anast. in l. 1. de Incarnatione, Tertul. lib. de oratione, Viç. lib. 3. adversus Arr. & ideo dici divus Ambros. lib. de Sacram. c. 4. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quotidie accipe, ut quotidie tibi prostris; & postquam idem dixerat divus August. sermone 28. de verbis Domini, con. 20. inquit: Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Ergo cum hic panis sit pane corporali super substantialis, & cibus, seu alimenta animæ, ei per appellationem suspendenda non sunt per appellationis obstaculum, & non solum sicut in alimentis majoribus præstandis, sed etiam in cibariis, & educationibus, quæ pupillis, infantibus præstari jubentur, juxta l. 1. & toto titulo, ff. & Cod. ubi pupillus educari, vel morari debeat, ut constat ex exemplo divi Chrysostomi homil. 53. 92 super Matth. tom. 2. ibi: Non videtis quanta infantes animi claritate mamillas arripiunt? Quæ profectione papillæ insigunt labia? Non minori cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus calicis accedamus spirituales papillam: imò verò majori desiderio, quasi lactantes pueri gratiam spiritus sugamus, unus sit nobis dolor, una tristitia, si hoc alimento spirituali privemur. Ecce igitur divum Chrysostomum dicentem, majorem esse dolorem alimento spirituali privari hominem quam infantem lactè: ergo eodem modo, & fortiori dicendum est quòd quemadmodum appellatio non est impedimentum, quominus alimenta infantibus, majoribus interim præstentur, nec sententiæ effectus suspendatur, ut absolute ab excommunicatione, cum per eam permittatur alimenta spiritualia vesci.

Hinc etiam hæc nostra fulcitur, & corroboratur 93 opinio, nempe iudicem Ecclesiasticum vim non facere non deferendo appellationi emissa à sententia, quæ, quis absolvi jubetur ab excommunicatione, vel interdicti vinculo: nam si subsidium, & auxilium, quod ad humanum bellum mitti, sententiam jubetur: non suspenditur ejus effectus per appellationem subsequenter pariter in l. fin. de appellat. recipi. ibi, ne frumentum in usum militum, in annonæ subsidium contrahatur, 94 &c. quoniam hæc res dilationem non patitur ex ipsa lege, ad quod videnda sunt, quæ circa subsidium charitativum supra diximus cap. 2. sed sic est hominem esse in continuo, & perpetuo prælio spiritus adversus 95 carnem, caro autem adversus spiritum, spiritus promptus, caro autem infirma; tres enim sunt animæ fortissimi inimici continuo in statera parati, scilicet mundus, diabolus, & caro, qui insidiis ipsam minantur, quique frequenter captivant spiritum in lege peccati. Mundus nunquam solus præliatur, sed ducit secum carnem, & diabolum, & hi tres simul, semel contra spiritum pugnant, de quibus per Ecclesiast. 25. cap. Tres (inquit) 96 species odit anima mea, pauperem superbium, divitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum; pro quibus intelligit, & optime, diabolus, mundum, & carnem, ut ibi latius explicatur, à quibus oppressus & defessus, & lacessitus David Propheta Psalmo 37. Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè. Auxilium Dei in hoc prælio necessarium invocans, inquit ibi: Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris à me: quod auxilium præstat Dominus visiliter se gerenti, juxta illud Psalmsi 36. Viriliter age, & confortetur cor tuum.

- 97 & ideo dicit Dominus in Apocalypsi c. 1. n. 8. *Vincenti dabo edere de ligno vite*, quod lignum vite est figura hujus sancti Sacramenti Eucharistiae, corporis, & sanguinis Christi, ut ex his, quae in hoc adducit Fran. Dida. Muril. in suis discursibus predicabilibus, sermone primo, de las figuras del Sacramento de la Eucharistia, super illis
- 98 verbis: *Caro mea verè est cibus, &c. ante fin. colum. 282.* quapropter, quia noster primus Pater Adam non se gefit in hoc praelio viriliter, sed victus est à dæmone, cum exultavit à Domino, qui dixit: *Ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vite, & comedat, & vivat in aeternum*, Genesis 3. n. 22.
- 99 Cujus quidem praelii contra hos inimicos proprium subsidium est, tutela, & defensio, Eucharistiae Sacramentum, ut probat divus Cyprianus in epistola 2. ad Cornel. ibi; *Communicatio danda est à nobis, ut quos excitamus, & exhortamur ad praelium, non inermes relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus, & cum ad hac fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tuos esse contra adversarios volumus, monumento Dominica satuitatis armemus, &c.* Et quemadmodum alimenta, & alia cibaria temporalia admodum necessaria sunt ad bellum, ad victoriam, & ad fortes reddendos homines humanos: *Panis cor hominum confirmat*, Psalm. 100. mo 101. Ita in hoc bello spirituali ad idem necessarius est cibus corporis, & sanguinis Christi, cujus praeceptum est effectus, animum, & vim attribuere, juxta illud David Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*, & divi Ignatii Epistol. ad Ephesios: *Date operam, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei: quando enim sapius in idem loci convenitur, labefactantur vires Satanae, &c.* & D. Paul. ad Hebraeos cap. 13. num. 9. *Sicque legitime certantibus, victoribusque, & gratiam merentibus per appellationem peccatorum offerenda est Eucharistia*; ad quod facit illud S. Marci Anachoretæ in lib. de Melchisedech, postquam retulit illud Melchisedech, qui panem dedit, & vinum Abrahæ, simul cum absolutione, postquam è bello quod cum Regibus habebat, victor rediit, ut advertit S. Cyrill. lib. 2. in Genesim, (quod est figura hujus Sacramenti Eucharistiae, ut advertit S. Marc. ibi.) dicit sic: *Christus redeuntibus, ex bello spirituali, dat panem sanctificatum, dicens, accipite, & manducate de eo omnes, &c.* ergo dicendum est, quod cum anima sit in perpetuo praelio cum fortibus inimicis, à quibus vera defensio, verumque subsidium, & alimentum est Eucharistia, quæ consequitur per absolutionem ab excommunicatione, vel interdicto, minimè differenda, nec suspendenda est per appellationem ab ipsa, vel à sententia, qua ipsa fieri jubetur; quemadmodum non differtur, nec demoratur subsidium praelio temporali mittendum, per d. l. fin. ff. de app. recip. vel non, imò à fortiori in nostro casu, cum majus periculum immineat.
- 102 Et hæc doctrina, nempe posse judicem excommunicatum relaxare non obstante appellatione; procedit etiam in interdicto, & suspensione ex æqualitate, & æquiparatione à nobis supra probata, & etiam ex his fundamentis hinc adductis, & desuper idem dicit Lancelot. de atten. 2. part. cap. 12. limit. 23. à num. 10. ubi dicit, quod illæ tres limitationes, quas scripserat ibi limit. 21. 22. & 23. nempe denuntiationem, fructus privationem, & absolutionem, & de quibus etiam nos diximus latius hoc eodem capite, quas ipse in 3. capitibus divisit, dicit procedere, & habere locum in suspensione, interdicto, quemadmodum & in excommunicatione, sequuntur etiam omnes Doctores supracitati, qui de absolutione à quacunque censura expressè loquuntur.
- Quæ doctrina, & resolutio in tantum vera est, ut à fortiori procedat, ut non possit appellari à sententia

qua dictum sit, excommunicatum præstita cautione esse absolvendum. Cardinal. Alexand. in cap. qua fronte, num. 10. ibi not. ult. de appell. Ruginell. in tract. de appell. §. 2. cap. 3. nu. 7. Scaccia de appellatio. quest. 17. limit. 42. numero 21. & non solum quando appellatio subsequitur absolutionem, sed etiam quando præcedit eandem absolutionem, ut tenet Lancelot. de atten. 2. 104 p. cap. 12. prefatione, nu. 11 §. limit. 3. & idem Lancelot. in eadem 2. p. cap. 12. limit. 23. sub nu. 2. ubi etiam loquitur, quando quis est excommunicatus, & instat pro absolutione, & adversarius replicat, non esse absolvendum, Decius in c. qua fronte, sub n. 17. de appellat. qui loquitur, quando quis excommunicatur, & petit absolutionem ab eodem judice, qui cum excommunicavit; adversarius opponit, quod cum offensa sit manifesta, absolutio concedi non debet, etiam si excommunicatus velit præstare cautionem de parendo juri, juxta cap. ex parte 24. de verb. sign. judex rejicit oppositionem, & adversarius appellat, nihilominus judex, non obstante appellatione, absolvi; quia licet absolutio sit injusta, tamen tenet appellatione pendente licet utilitas potest per superiorem rescindi. Franc. in d. cap. qua fronte, quest. 4. n. 35. & sub n. 38. Lancelot. dist. cap. 12. limit. 21. num. 36. & 37. & d. limit. 23. sub num. 3. & vide Scacc. ubi proxime, à num. 22. cum seq. qui post Lancelotum, & Philipp. Franchum aliquibus modis ampliat & limitat hanc doctrinam.

An, & quando judex superior, ad quem appellatum sit, absolvere excommunicatum possit, & debeat ad cautelam (si & in quantum indigeat) ad tollendum murmur, & scandalum populi, vel quoque modo: text. in cap. solet, & text. in cap. venerabilibus cum suis, §. de 107 sententia excommunic. lib. 6. & quæ ibi adducunt glossa, & Doctores, de interdicto, vel suspensione, vide text. in c. Apostolica, ubi Abb. Felin. & ceteri latè de exceptionibus, latè Covar. in prelezione, c. alma mater, de sentent. excommuni. lib. 6. p. 12. per totum, ubi etiam an delegatus possit ad cautelam absolvere, & an, & quando absolutio eadem debeat esse cum sola juratoria cautione, de stando juri, & casus in quibus fidejussoria requiratur, vide text. & ibi Philip. Fran. & ceteri in dist. cap. qua fronte, de appell.

Unum tamen advertere libet, quod cum superiores 108 judices sic ad cautelam absolvebant, & habitabant excommunicatos appellantes, ipsi indistinctè non solum in judicialibus, sed & in ceteris communicantes cum omnibus non exstantibus censuras, & in contemptum suffraganeorum, quod periculosum erat, ideo praxis observat, ut judex ad quem recepta appellatione, inhibeat judici à quo, ut per aliquos dies non procedat ad ulteriora, & in causa supersedeat (quam nos sobre cessoria, appellamus vulgariter) & ut simul acta transmittat, ex quibus superior informatus potest judicare, servatà formà text. in d. cap. venerabilibus, & aliorum allegatorum jam: & si inveniatur bene appellatum, & malè judicatum, potest vel ipse absolvere, vel ad inferiorem remittere absolvendum; si autem malè appellatum inveniatur, reum remittit ad eum; si autem dubium sit, in arbitrio judicis est vel absolvere, vel remittere, ut tenet Ancharan. in d. cap. solet de sententia excommuni. l. 6. & Abb. in c. per tuas, de sentent. excommuni. num. 2. & hac praxi utitur, quando appellatur post excommunicationem; si verò antequam incurta sit excommunicatio, faciendâ est inhibitiō eo modo, quo sursum posuimus, & cognitio de justitia appellantis, cum remittit ad inferiorem, ut iterum in causa procedere queat, quæ praxis ortum, fundamentum habet à doctrina Abb. in cap. per tuas, n. 3. de sententia excommuni. quam se multoties vidisse praticari testatur Zerola in praxi Ep. 1. part. verbo appellatio, §. ad secundum, cap. venerabilibus, &c. de qua videndus tamen est Cov. in cap. alma mater, 2. part. §. ult. à n. 7. gloss. in c. 1. verbo

præter

prætermissa, de foro compet. lib. 6. & gloss. in cap. ut debitus honor, versiculo aliquo, de appell. & in cap. Romana, §. sentent. de appell. in 6. ubi Geminianus versiculo quaro, an excommunicatus.

- 109 Superior igitur non poterit absolvere excommunicatum, nisi prius visis actibus, & facta inhibitione, præcipiens, ut ad ipsum transmittantur, postmodumque, prout juris est, judicare, ad ipsum namque jurisdictione non devolvitur, nisi prius probatà causâ verâ, & legitimâ appellationis, ut secundum Innoc. in c. per tuas, de sentent. excommuni. num. 4. tenet Zerola in d. prax. Episc. 2. part. verbo appellatio, §. nono queritur, &c. & per Hostiens. in summa tit. de offic. deleg. §. qualiter finiatur, dicentem, malè facere aliquos superiores metropolitānos absolventes excommunicatum appellatē, antea quam inhibeat inferiori, ut ne procedat per aliquos dies, secundum formam jam dictam, & transmittat acta, quod in criminali causâ loquendo confirmat, & approbat sacrum Concilium Trident. sess. 15. de reform. cap. 3. ibi, coram judice ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omnino producat, & judex nisi illis visis, ad ejus absolutionem minimè procedat; & in declaratione Card. ejusdem cap. 3. 4. parte folio 254. verbo causa appellationis, &c. Congregatio censuit Episcopum, ad quem appellatum fuerit, excommunicatum coram se 110 comparentem ad cautelam, posse absolvere, visis actis, quibus jurisdictione sua fundetur, quamvis aliàs de meritis causæ non cognoscat, diffinitivè tamen, nisi visis omnibus actis primæ instantiæ, non posse juxta hoc caput sententiam ferre.
- 111 Constito autem de contumacia judicis à quo recusantis exhibere acta, partes erunt judicis, ad quem appellatum est, absolvere partem appellatē à molestationibus, & pronuntiare acta, & sententiam judicis à quo, si unquam reperiantur cassâ, & vana: ita loquitur eadem declaratio in princip. ver. acta primæ instantiæ, ibi secundum dispositionem cap. ibi: is autem à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui causa appellationis hujusmodi; prout justitia suaverit terminetur: & ad illud quod idem Concilium dicit (appellanti gratis exhibeat, &c.) intelligenda sunt de actis in criminali causâ confectis per judicem, vel saltem per Cancellarium ejus Episcop. 112 pi, vel qui acta tunc exhibere debet gratis; non tamen intelligendum est de notario actuario, cum omnino solvenda est merces, juxta alia Concilii decreta, sessione 24. de reform. cap. 10. & alibi passim, & declaravit Congregatio ubi proxime, versiculo gratis exhibeat.
- 113 Hinc non inutile videbitur, examinare illam quæstionem, an judex Ecclesiasticus vim faciat, non deferens appellationi interpositæ per mulierem, quam ad absolvendum (vel quia ad idem tenetur de jure, vel quia jubetur per superiorem, vel rogatur à tribunali) eo quod personaliter ad absolutionem nanciscendam cogit, & compellit, comparere coram se, de qua quæstione semel de facto vidi dubitari, licet judex non neminem, necdum, tactam, & à judice vim fieri constat, nam cum jure prohibitum sit, ut mulieres nequaquam debeant à judice personaliter trahi invitæ, nec evocari causa ferendi testimonii, aut alia quælibet, quæ in jure non invenitur 114 expressè decisa, etiam autoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius, aut alia quacunque; sed tenetur ad eundem tabellionem, aut aliam personam idoneam transmittere, vel ipse judex requirente qualitate negotii, text. est expressus in c. mulieres (quas vagari non convenit, nec virorum cœtibus immisceri) de judiciis, lib. 6. text. etiam in auth. ut nulli judicium, in princ. ibi, sed siquidem pro fiscalibus debitis patietur secundum legem mulierum, aut per virum suum, aut per se, ut per quam voluerit personam legitimè respondeat, & tranfigat rem, &c. & eadem verba scripta sunt in auth. sed novo jure, C. de offic. diversorum judicium, post l. quo-

niam, C. de custodia reorum, cum aliis, & latè probavimus supra, hac eadem p. c. 4. à num. 90. circa carceratos ratione personæ, quod ibi de muliere dixi, ubi ex pluribus comprobavi, quod etiam si persona mulieris necessaria sit ad iudicium, ad id vocanda non est personaliter, sed ad eam debet judex aliquam personam mittere, juxta text. disposit. in d. cap. mulieres, secundum quem, cum in jure non inveniamus expressum ad absolutionem nanciscendam personalem requiri præsentiam mulieris, ferè contrarium disponitur, argum. 116 text. in c. mulieres, de sentent. excommuni. in decret. ubi dicitur, quod mulieres, quæ incidunt in canonem, se quis suadente, ne cogantur Romanam Curiam adire pro absolutione, absolvantur à diocæsano suo, ergo judex debet presbytero eam committere, & delegare.

Et quod judex Ecclesiasticus alii possit cuilibet committere absolutionem, sibi etiam jure speciali competentem in casibus majoribus, probat text. in c. fin. de offic. ordinarii, ibi, his quibus ex officio in certis casibus competit illos absolvere, qui per violentiam manuum injectionem incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, licet aliis hujusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire, hætenus, quem text. exornat Cov. & alii ab eo relati in lib. 3. var. res. c. 20. n. 5. & gl. & Doctores in d. cap. fin. de offic. ord. text. in c. fin. de offic. & por. jud. deleg. loquentem in his, quibus nudum ministerium commissum est, qui subdelegare non possunt, ut ibi: & quod excommunicatio delegari possit, probant communiter DD. in c. quod sedem, de offic. ordinarii, & in l. imperium, ff. de jurisd. omnium jud. ergo similiter & à fortiori absolutio, & relaxatio quæ est magis favorabilior causa, ut supra, hoc cap. diximus.

Insuper, nam, quia jure canonico quidquid est cognoscibile, est delegabile, siue causæ sint mixti, siue meri imperii, quemadmodum & simplicis jurisdictionis, gloss. in c. in Archiepiscopatu, de raptoribus, gloss. in d. c. quod sedem, gloss. in cap. pervenit, §. 5. dist. quam communem dicunt Panormi, Immola, & Alciatus num. 76. in d. cap. quod sedem, juniores in l. 1. ff. de offic. ejus cui mandata est jur. præsertim Curtius Junior num. 26. Alex. Jaf. & Purpur. num. 492. & Jacobus de Nigris colum. 13. per text. in cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus, textus in cap. aqua de consecratione Ecclesie, vel alia, c. vel nulli ut Monachus in 6. clem. 1. §. de hæreticis, cap. licet, de officio Vicarii, cap. cum Episc. de officio ordin. in 6. Covar. in libr. 3. varia. resolut. cap. 20. à princ. & nos latius hanc articulum examinavimus supra, p. 1. c. 4. post princip. 110 ergo cum jure non prohibita sit absolutionis delegatio, imò sit permilla, debet judex Ecclesiasticus alteri eam committere, ne cogatur mulierem personaliter accedere, maxime si mulier sit nobilis, & habitet extra civitatem, & locum judicii, quæ peculiari quadam ratione honestatis hoc est beneficium, & privilegium à jure mulieribus inter alia concessum, juxta utrumque d. cap. mulieres, de judiciis in 6. de sent. excomm. in decret. & text. in d. auth. ut nulli judicium, in pr. & d. auth. sed novo jure, C. de offic. diversorum judicium cum aliis.

Quæ omnia satis comprobare videntur nostram hanc opinionem, deteguntque hac in quæstione violentiam fieri evidentem à jure, non deferendo appellationi interpositæ à muliere, juxta personaliter comparere pro absolutione nanciscenda. Quoniam hoc gravamen talis est naturæ, ut ab eo licita sit appellatio: nam cum hoc beneficium à jure communi sit concessum, ut pro his causis civilibus nullo modo debeat in iudicium trahi personaliter, sed per maritum, vel procuratorem quemlibet legitimè constitutum, audiatur, & si causæ qualitas hoc requirat, ut persona ejus necessaria sit; debet judex, vel ire, vel mittere tabellionem, vel personam idoneam, ut actus perfectè expediatur, secundum 121 text. & gl. in d. cap. mulieres, de judiciis in 6. nam à judice negante